444
444
E 9
E
9
Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Kw 444 E 9 - 14.

DISPUTATIO JURIDICA INAUGURALIS DE Reſcriptis Moratoriis.

QUAM

PRÆSIDE DEO OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. WOLFERDI SENGUERDII, L. A.M.
Phil. & J. U. Doct. illiuſque in Illuſtri Academiâ
Lugd.-Bat. Profeſſ. ordinarii, celeberrimi, &c.

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici Conſenſu, & Almæ Facultatis JURIDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in Jure utroque Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè conſequendis,

Publico examini ſubjicit

ISAACUS MASSIS, ROTER.-BAT.

Ad diem 5 Iulij loco horiſque ſolitis.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ABRAHAMUM ELZEVIER,
Academiæ Typograph. MDC LXXXV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Clariſſimo, Nobiliſſimo, ac Illuſtri Viro

D.D. JOHANNI MASSIS, Reipublicæ Roterodamenſis Senatori graviſſimo, & Delegato ordinario ad Conſilium Illuſtr. & Præpot. D. D. Ordinum Hollandiæ ac Weſt-Friſiæ. Patri meo omni filiali amore ſemper colendo proſequendo.

Venerandis Viris

D. NICOLAO MASSIS, D. PETRO MASSIS, *Illi Eccleſ. Gallo-Belgicæ quæ Zirizeæ, Huic quæ Yſelmondæ colligitur, Paſtoribus vigilantiſſimis, fideliſſimis, Patruis meis ob innumera in me collata beneficia æternum honorandis.*

Ampliſſimo ac Conſultiſſimo Viro

D. JOHANNI VOET, J. U. D. & in Academia Leydenſi Anteceſſori celeberrimo, Præceptori & Promotori meo graviſſimo.

Reverendis Viris

D. THEODORO ZAS, apud Indo-Batavos,

D. RUMOLDO ROMBOUTS, in Eccleſia Leydenſi,

D. JOHANNI TEXELIO, in Eccleſia Roterodamenſi,

V. D. Miniſtris facundiſſimis, amicis integerrimis.

Conſultiſſimo Viro

D. ANTONIO SCHULTINGIO, J. U. D. prudentiſſimo, doctiſſimo, amico ſingulari.

Diſputationem hanc inauguralem eo quo par eſt animo

D. D. D.

ISAACUS MASSIS,
Auctor.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
Reſcriptis Moratoriis.

PRÆFATIO.

Nihil eſt quod tantopere efflagitet & naturalis & civilis ratio, quam ut, cum in aliis dictis factiſque intemerata ſit fides, tum maxime in commerciis, quæ ne momento quidem ſtare poterunt, fide non tantum extincta, ſed vel vacillante paululum. Quis enim ni hæc præciſe præſtetur neceſſitatibus alienis ſuccurret? Quis pecunias fænerabit, incertus non tantum quando, ſed & an ſit recepturus? Quis merces cum incerta recipiendi pretii ſpe permutabit? Non temere proinde in rebuſpublicis bene conſtitutis id unice agitur, ut hæc tam neceſſaria & naturæ & legiſlatorum civilium præcepta diligentiſſime mandentur executioni: Humanitatis tamen præcepta non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

permittunt, ut adeo in noſtros debitores ſæviamus, ut aliquando antiquitas permiſit: Nam ante tempora 12 tabb. ſervorum inſtar habebantur & operas ſerviles ſuis præſtare tenebantur creditoribus, donec ipſis ſatisfactum eſſet, ut conſtat ex Sigon. lib. 1. de Jur. Civ. Rom. c. 6. *Ex lege vero 12 tabb. miſerior adhuc eorum ſtatus erat; illa enim non tantum pignori capi debitores à creditoribus, retineri & vendi, ſed & ſi plures exiſterent creditores, miſerorum corpora in partes ſecari inter eoſque diſtribui permittebat: Verum cum nulla res ſit, quæ poſſit ad pretium corporis liberi conferri, & anſa inhumanis ac voracibus fœneratoribus ad horrendas crudelitates in miſeros exercendas præberetur, humaniſſimum duxere Romani huic ferreæ derogare legi, & contra hanc immanem duritiem excogitare remedia, ut duo præcipua excogitarunt, ſc. beneficium ceſſionis (de quo hic agendi non eſt locus) & reſcriptum moratorium; cujus ope non plene quidem, (quod ſine graviſſima in creditorum injuria fieri nequit) hactenus tamen obæratis, præſertim divinitus afflictis ſubvenitur, ut per mediocre tempus expediendæ rei familiaris & conquirendæ pecuniæ facultatem habeant, ab interpellationibus, vexationibuſque creditorum liberi. Interea autem debitorum poteſt reſpirare ſubſtantia, ſpeſque affulget, fore, ut ipſorum bona elapſis his induciis ſufficiant ari alieno exſolvendo: quæ alioquin etiam ſæpius, dum à voracibus creditoribus invaduntur diſtrahunturque & viliſſimo veneunt, & magna ex parte in impenſas executionis abſumenda ſunt: unde fit, ut ipſi creditores non raro vix exiguam debiti particulam conſequantur, quibus idcirco etiam conceſſione hujus reſcripti ſæpe conſulere Principem merito dixeris. De his reſcriptis moratoriis nonnulla diſputare inſtitui, explicaturus quid ſit reſcriptum moratorium, quibus & quaſnam ob cauſas, quomodo concedatur, quando currere incipiat, effectus & denique quando ceſſet.*

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

CAPUT I.

Definitio reſcripti Moratorii.

Varia reſcriptorum ſunt genera, quæ omnia hac diſputatione inaugurali percurrere animus non eſt, ſed hanc unam tantum ſpeciem proponere.

Reſcriptum nihil aliud eſt, quam Principis ad epiſtolas vel preces reſponſum: *Moratorium* quod moram adfert creditoribus in debitore conveniendo & ad ſolutionem urgendo.

Vocantur quoque à Practicis ſecuritatis promiſſiones, ſalvi conductus, literæ gratiæ.

Eſt *reſcriptum moratorium* Principis gratia inopi debitori per literas authenticas facta, ne intra certum tempus à creditoribus conveniatur.

Dico *per literas*, quia ſi ſolis verbis Princeps concedat, & poſtea non ſubſequantur literæ reſcriptum non eſſet. Dico *authenticas*, quia ſi fuerint epiſtolæ, aut aliæ Principis literæ non authenticæ, reſcripta non dicerentur per *l. 2. de fid. inſtrum. & c. 1. & 2. X. de fid. inſtrum* Dico *intra certum tempus* &c. quia dilationem peremtoriam non concedit *per l. 2. C. de prec. Imp. offer.* jus alteri quæſitum Princeps tollere nequit §. 2. *J. de His qui ſunt ſui vel alien. jur.*

CAPUT II.

Quibus conceditur hoc reſcriptum.

Iis conceditur debitoribus qui notabile damnum ex caſu, quem humana providentia prævidere non poterat, paſſi ſunt, puta belli, naufragii, incendii. Excluduntur ergo ſua decoquentes abutenteſque, cum ullo auxilio indigni ſint; ſibi enim imputent ſe ære alieno eſſe demerſos. *Hilliger. ad Donell. lib. 22. comm. c. 9.* Syndicis quoque non denegabitur univerſitatis nomine illud petenti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

tentibus, ſi eam temporum injuria in egeſtatem perduxerit. *vid. Matth. de afflict. deciſ. Neap.* 377. Refert etiam *Caſſiodorus* lib. 2. var. c. 38., Theodoricum Gothorum regem Sipontinorum inopiæ hoſtium incurſu afflictorum tali ſuccurriſſe reſcripto. Verba hujus hæc ſunt; *Quatenus ſub iis induciis & datam poſſint reparare pecuniam, & aliquatenus valeat reſpirare debitorum ſubſtantia: Quid enim proficit, creditorem ſe urgere, quando in caſſum nititur nudatos exigere? quibus magis proſpicimus, ſi ad mutuata ſuſtinendo pervenire faciamus.* Teſtatur & *Rebuff.* ſe aliquando vidiſſe à ruſticis totius alicujus pagi, ab hoſtibus oppreſſis, has literas impetrari; imo & concedi totius territorii populo. *Rebuff. in tract. dilat. art.* 1. *gloſſ.* 1. *n.* 13.

CAPUT III.

A quo & quomodo conceduntur.

Hoc reſcriptum ſolus concedit Princeps *A. Fab. Cod. lib.* 1. *t.* 9. *def.* 21. (cujus nomine omnes intelliguntur majeſtatem habentes vel ejus vicem gerentes) quem ſi adiverit infelix miſerque debitor, ipſi benigne præſtat tale beneficium, cum cognoverit juſtas ob cauſas, vel quod creditores omnes, vel ſaltem maxima ex parte ad hoc conſenſerint, debitorem refugere ad ipſius Celſitudinem. Dividunt D. D. hoc reſcriptum in *annale* & *quinquennale* & varias inter modos hæc reſcripta concedendi ſtatuunt differentias: In *annali* volunt, ſupplicanti explicandas eſſe cauſas gravioris jacturæ, quæ ipſi ex caſu fortuito & quidem poſt debitum contractum à decennio proximo ſine culpa ſua contigit, *Rebuff. in tractatu de literis dilat. Gloſſ.* 1. *n.* 64. *&* 65. & cauſa, quam allegat, debet eſſe vera; ſi enim falſum quid ſuggeſtum ſit, ipſo jure nullum eſſet *l.* 5. *C. & tot. tit. ſi contra utilit. publ.* In *quinquennali* non reſpici, quonam ex caſu damnum provenerit, ſed ſolummodo an creditores, vel major eorum pars ad hujus impetrationem conſentiant *l. ult. C. qui bon. ced. poſſ.* quo requiſito excluduntur creditores futuri, quibus reſcriptum non nocet, cum huic conceſſioni conſentire nequiverint. Quod dixi conſenſum maximæ partis creditorum ſufficere ad impetrandum quin-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

quinquennale intelligendum eſt pro quantitate debiti, non pro numero creditorum *d. l. ult. C. qui bon. ced. poſſ.* & ſi contingat, ut uni plus quam cæteris omnibus creditoribus debeatur, potior ejus unius habenda ratio *l. 8. de pact.* Iidem D. D. tradunt in *annali* neceſſe habere debitorem, ut omnia agnoſcat debita; in *quinquennali* ſecus; in annali non admitti probationem in contrarium; ſed ſufficere, debitorem ſe purgare de dolo per ſuum jusjurandum; in *quinquennali* admitti, ut inquiratur, num debitores, qui conſenſiſſe dicuntur, non ſint ficti, perque vim metumque adacti, ut conſentirent, quam ob cauſam citandi ſunt, & ſeſe ſiſtere debent: qui autem per contumaciam abſunt, pro præſentibus & conſentientibus habendi: In *annali* ſufficere cautionem juratoriam; in *quinquennali* neceſſario requiri fidejuſſionem idoneam. *l. 4. C. de prec. Imperat. off.* Porro ſtatuunt D. D. narrandum eſſe hunc ſalvum conductum petentibus, an ſit ex cauſa locationis, vel conductionis; an ſit debitum fiſcale, ad quod non extenditur *l. 2. C. de prec. Imperat. off.* cum Princeps non præſumatur ſibi præjudicare velle; an ſit ex cauſa depoſiti cum depoſitum valde favorabile ſit *l. pen. C. depoſit.* an petatur contra creditorem inopem, cujus inopia hanc dilationem non patitur; an adverſus eum, cui ex labore perſonali aliquid debetur, cum hoc debitum ſit privilegiatum; major enim eſt labor perſonæ, quam rerum *Rebuff. in tract. de litt. dilat. annal. art. 1. gloſſ. 1. num. 26.* an adverſus venditionem, ſi re tradita ad pretium agatur *arg. l. 50. de act. emt. & vendit.* maxime eduliorum in foro factam, cum eorum commercium ſit maxime neceſſarium *l. 2. de nund.* an adverſus jus; quo caſu denegabitur: non enim tam facile jura ſubverſurus eſt Princeps tot vigiliis excogitata *facit. l. 35. C. d. inoff. teſtam.*: imo etſi conceſſerit, prohibet, ne illi ullus relinquatur locus *l. 1. C. de petitionib. bonor. ſublat. & l. ult. C. ſi contra jus vel utilit. publ.* an contra Eccleſiam; contra quam inducias non concedit: *Rebuff. d. loco num. 32. Menoch. de arbit. in caſ. 203. n. 32.* quæ pleraque ſtatutis ac D. D. opinionibus magis, quam jure civili conſtant.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

CAPUT IV.

Quando currere incipiat & ſemel impetrato aliud impetrari non poteſt.

Currere volunt D. D. hoc reſcriptum à tempore beneficii conceſſi, quia in privilegiis ac reſcriptis ad gratiam indultis tempus dati inſpicitur, quod dilucide probat *c. eam te verſ. quod nullatenus X. de reſcript.* quod tamen limitationem recipit, ſi impetrans juſti impedimenti per adverſarii, judiciſque factum aliamve neceſſitatem ſibi oblati exceptionem proponat; impedito enim tempus non currit *l. 2. ſi quis cautionib. & l. 1. §. 2. C. de annal. except.* puta ſi tempore conceſſi beneficii in carceres ſit detruſus, nec prius à judice eximatur, quam de reſcripti viribus cognitum ſit, quo facto debitori aliquod temporis ſpatium interim effluxerit. Præterea non eſt quod dubitemus Principem ex ſua poteſtate contra reſcribere poſſe, ut demum currat à tempore approbationis reſcripti per judicem faciendæ. Hæc reſcripta generaliter non niſi ſemel conceduntur; alias enim per dilationes continuatas videretur Princeps tertio jus ſuum auferre, & vires totius negotii exhaurire, quod à mente Principis alieniſſimum eſt, *l. 2. C. de precib. Imperat. offer.* imo ne quidem & ſi dilatione ante conceſſa non uſus fuiſſet debitor, quia oportet ipſum, ſibi opportuno tempore per hoc reſcriptum conſulere, & qui non opponit neque utitur remedio ſibi competente, tacite ei renunciaſſe videtur *l. 7. C. qui accuſ. non poſſ. & arg. l. 6. C. de remiſſ. pign.* ad jura autem renunciata regreſſus non datur *l. 14. §. 9. de ædilit. edict.* imo dolum committit *l. 44. mand.* Dixi regulariter ſemel concedi reſcripta; non enim veriſimile eſt, Principem juſta & urgentiſſima & rationabili ex cauſa, quæ ſemper à communibus regulis & in omni generali diſpoſitione excipitur, *arg. l. 30. mand.* denuo non conceſſurum: ſed cum rurſus petitur, primæ gratiæ in precibus eſt facienda mentio, alias quaſi ſurreptitia redderetur invalida. *Menoch. lib. 2. caſ. 203. n. 28.*

CA-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

CAPUT V.

Effectus conceſſi.

Inſignes quaſdam utilitates ex hac conceſſione inops miſerque debitor conſequitur. (1) Pendente hac dilatione per Principis benignitatem conceſſa à ſuis creditoribus non conveniri, & ipſe tamen à ſuis debitoribus debitum exigere poteſt, ut habeat, unde finita dilatione, creditoribus ſuis ſatisfaciat, non habente contra ipſum hac regula locum: *Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, eodem ipſum uti æquum eſt*: Hæc enim regula locum habet inter ſimiles perſonas & eadem exiſtente ratione: Præterea hujus edicti retorſio tantum valet in jure iniquo & novo per gratiam impetrato, non in eo, quod ex ipſa juris diſpoſitione defertur & in corpore juris clauſum eſt: hoc autem beneficium non nititur jure iniquo, cum modici temporis dilatio non ſit magnum præjudicium & quod differatur, non auferatur: expreſſe quoque præcipit *l. 2. C. de quadr. præſcript.*, aliquem beneficio Principis munitum nulla moleſtia afficiendum eſſe. Nec æquitatis aut juris ratio patitur, ut beneficium Principis inopi debitori ratione commiſerationis conceſſum ad debitoris debitores protrahatur, cum ſit beneficium mere perſonale & his induciis ſolummodo fato miſeri & inopes ſublevantur. (2) Omnis omnino adverſus debitorem exequendi facultas adimitur, adeo quidem ut ſi in perſonam vel bona debitoris egerit creditor, revocandum ſit, & quicquid in contemtum beneficii factum probabitur; pendente enim dilatione conquieſcit judicis officium *l. 3. C. de dilat.* (3) Carceri mancipandus non eſt, &, ſi in eo detineatur, confeſtim eximendus ac bona arreſto obnoxia, ſequeſtrata, ac pignori capta relaxanda atque reſtituenda, quibus relaxandis, ac revocandis ſi creditores ſepertinaciter opponant, in id, quod intereſt ac expenſas condemnandi ſunt *Freundeberg. de reſcript. morat.* Sed, quanquam executionem quamlibet remorantur, non tamen impediunt retentionem neque compenſationem, quoniam aliud eſt petere, aliud retinere, nec qui petere prohibitus eſt, eo ipſo cenſendus retinere prohibitus: & compenſatio ipſo jure fit, imo actionem minuit. §. 30. *Inſt. de act.* cum ſit cauſa liquida. Atque adeo liberatus eſt debitor com-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

penſationis ope, proindeque idem eſt, ac ſi ſolverit *l. ult. C. de compenſat. l. 54. de ſolut qui pot. in pign.* (4) Debitor, cum has impetravit inducias, in mora non eſt; moram enim non committit is, qui per exceptionem adverſarium repellit *l. 40. de reb. cred.* & juſtum habet dilationis cauſam *l. 21. ff. de uſur. fac. l. 127. d. V O. l. 88. de reg. jur.* (5) Non ſolum ſortis, ſed ejus uſurarum exactio ceſſat; non vero ſiſtitur earum curſus, cum Princeps ſimpliciter abſque ulla uſurarum determinatione & mentione dilationem conceſſerit: quæ enim alicujus momenti ſunt, in ſpecie exprimi debent, alias pro neglectis & præteritis habenda *l. 15. §. 26. de injur.* & cum natura dilationis ſit, ut actionem differat, non ut obligationem mutet, idem in hac dilatione ſtatuere, &, cum non probatur exceptio, generalem regulam ſequi debemus. Concludimus ergo currere uſuras, non vero ſiſti, & finita dilatione, eas ſimul cum ſorte creditori refundendas, non obſtante *l. ult. C. de uſur. rei judic.* ex qua tempore illo, quod judicatis datum eſt, non currunt uſuræ, quoniam hoc ita legiſlatori placuit, neque à caſu diverſo citra textum ita concludere licet; illa enim dilatio eſt juris ordinarii, hæc autem noſtra plane extraordinaria: Nec obſtat *l. 8. §. 2. de liberat. legat.* Nam teſtator uſuras & pœnam differre poteſt, utpote moderator & arbiter ſuæ rei (quatenus aut vi aut jure non prohibetur) & hoc legatum tantum ex tempore debetur, quo elapſo demum vires ſumit: ita ut nil mirum ſit, ſi res legata cum uſuris, prius non debeatur, quam tempus elapſum fuerit; hic vero non tale nobis occurrit debitum, ſed omnino purum, cujus exactio per reſcriptum Principis, non certa & ordinaria juris ratione differtur. Poſtquam varios hujus beneficii, quibus impetrans per hoc fruitur, propoſuerimus effectus, non abs re fore arbitror, ut inquiramus, num alii, ut heredes, hujus beneficii privilegio quoque gaudeant. Mihi autem videtur, quod non, cum iſtud privilegium mere ſit perſonale: ex cauſa enim commiſerationis à Principe indulgetur, atque ita ſolummodo reſpectu perſonæ conceditur; perſona hujus conceſſionis immediata cauſa eſt, ideoque procul omni dubio id beneficium perſonale dicendum eſt, ſemper enim reſpiciendum, cujus contemplatione aliquid fit *l. 11. §. 22. de leg. 3.* quæ aſſertio cum conſtat, certum eſt hoc beneficium non tranſire ad heredem vel alium ſucceſſorem *l. 68. & 196. de reg. jur.*

Quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Quæ omnia jam dicta procedunt, ſi in ipſo reſcripto moratorio ipſorum quoque heredum non facta fuerit mentio, vel in dubio ipſe Princeps conſultus pro herede pronuntiet; privilegiorum enim & reſcriptorum interpretatio à Principe facienda eſt *l.* 191. *& l.* 43. *de vulg. & pupill. ſubſtit.* (6) Videndum, num quoque fidejuſſoribus proſit. Multi celeberrimi viri negant, alii affirmant: affirmantibus autem, motus haſce ob ſubſequentes rationes, adſtipulor, quanquam fateor me ſuperius ſtatuiſſe, quod beneficia perſonalia non tranſgrediantur perſonas, quibus conceſſa ſunt: ſed in hoc caſu exceptioni à regula generali eſſe locum, demonſtrare conabimur: Fidejuſſor enim conventus à creditoribus litem denuntiat debitori; debitor autem ſe in judicio ſiſtit & opponit exceptionem gratiæ à Principe ſibi indultæ, qua in ſua perſona tutus eſt, ne poſſit excuti: cum autem jam ſciamus jure noviſſimo, fidejuſſorem non prius poſſe de debito conveniri, quam debitor principalis omnino ſit excuſſus, neceſſario ſequitur, ut per conſequens quoque fidejuſſori proſit, donec finitis induciis conſtiterit, ſolvendo debitor ſit nec ne. Quid enim alias debitori hæ induciæ prodeſſent? certe quod ipſi una via conceſſum erat, per aliam ipſi auferretur, quod eſſet contra *c. cum quid* 84. *de R. J. in* 6. & quod in commodum debitoris introductum erat, hoc in incommodum & odium ejus detorqueretur, quod nulla juris aut æquitatis ratio patitur *l.* 6. *C. de legib.* Neque præſumendus eſt Imperator, à quo omnia jura dimanant, uni gratiam velle impertiri, alterum ſumma injuria afficere, quæ ſane fidejuſſori gratis intercedenti fieret, cum ex ſua benevolentia actionum moleſtias, antequam principalis debitor excuſſus eſſet, ſubire deberet. Quibus adductus illuſtris & doctrina præclarus *Baro Hohenheimenſis Accac. Enenckelius in tr. vere inſigni de privil. l.* 2. *c.* 4. *n.* 127. in hunc modum effatur. *Fit hoc omne ob interpretationem benigniorem & pleniorem reſcriptorum hujuſmodi, ut ſcilicet privilegiati tanto plus ſentiant humanitatem & beneficium Principis, quos parum iiſdem juvari contingeret, niſi eadem fidejuſſoribus quoque & eorum interceſſoribus privilegia concederentur.* Quod ratio dictitat & in jure fundatum eſt, cum reguraliter verum ſit, exceptionem principali competentem, competere quoque ejus fidejuſſori eo caſu quo exceptio illi propter regreſſum futura eſſet inutilis *l.* 9. *§.* 3. *ad SCtum Maced. l.* 1. *§.* 8. *quar. rer. act.* Creditoribus quoque

 que

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

que hoc beneficio proſpectum eſt. (1) Non enim currit creditori debiti præſcriptio *l fin. C. qui bon. ced. poſſ.* Evidens eſt hujus ratio, quia conceſſa totius perimendæ actionis dilatio non valet *l. 2. C. de prec. Imp. off.* Hujus enim temporis intercapedo dilationem tantum, non lucrum adferre debet *l. 3. de fidecomm.* & non valenti agere, non currit præſcriptio *l. 1. §. 2. C. de annal. except. & l. 30. verſ. Omnis autem C. de jure dot.* (2) Qui hoc beneficium impetrarunt, non poſſunt elapſo quinquennio cedere bonis *Trentacincq. lib 3. Reſol. 2. n. 30. de ſolut.* (3) Debitor eo ipſo debitum confitetur & agnoſcit; preces enim contra ſupplicantem probant, & vim habent confeſſionis *l. 9. C. de liber. cauſ.*

CAPUT VI.

Quando ceſſat.

Ceſſat (1) hoc reſcriptum lapſo quinquennii tempore, quia, quod conceſſum eſt ad aliquod tempus, poſt illud videtur eſſe prohibitum, & cauſa limitata limitatum producit effectum *l. 16. de acq. rer. dom.* (2) Cum debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit; ceſſante enim cauſa ceſſat & effectus, ita ut à creditoribus ſuis conveniri queat, licet ſpatium quinquennii non effluxerit; privilegium enim propter paupertatem conceſſum adauctis facultatibus ceſſat.

CO-

COROLLARIA.

I.

Emtor, Legatarius & alii ſucceſſores ſingulares non tenentur ſtare conductioni, niſi hoc conventum ſit.

II.

Conductor tenetur de lata & levi, non leviſſima culpa.

III.

Merces in locatione debet in pecunia numerata conſiſtere.

IV.

Invecta & illata in prædium urbanum per primum vel ſecundum conductorem tacite pro penſionibus ſunt obligata, at non illata in prædium ruſticum.

V.

Si quis crediderit in navis refectionem aut rei alterius emtionem, non habet legalem hypothecam.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

AEN

Mijn Heer

ISAACK MASSIS,

Als hy de ſtoffe van de Reſpijt-brieven kragtig beweert en betwiſt-redent hadde.

Sin-rijke *Geeſt* MASSIS, wijl gy het uytſtel regt
Manmoedig hebt beſchermt, met tong, en ook met veder,
Dat die, t'of hoort, of ſag, u eer by d'eer-krans vlegt,
Soo buygt mijn *Muſa* ſig ook voor u voeten neder,
En offert, niet een *Mirth*, maer eene letter Kroon.
Dit paſt door-lettert breyn. De krans gevlegt van bloemen,
Verſtrekt een ſchrand're *Ziel* veel eerder tot een hoon;
S'is te vergankelijk om eeuwig iet te roemen.

Aen den ſelfden.

Soo baent het yver-vuyr, de drift tot wetenſchappen
Een ſpoor, om d'eer trap te betreen, tot wijsheyts-ſtoel.
Soo ſtapt een *wakk're Ziel* al dringend door 't gewoel,
Met Breyn en Borſt vol brant, om hevig t'onderſchragen,
'T gebouw van *'s Keyſers Regt*. O! eere van u Magen,
Die ſoo vol luyſter klimt op *Pallas* eere trappen.

Hoe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Hoe wert 't gebouw geſteunt, van *Staet*, van't *Regt*, van *Kerk*,
Wanneer de *Suylen* ſoo, by jongs, als waert t'*Athenen*
Gevoet ſijn met een ſpijs, niet uyt de Aert, of Steenen:
Maer uyt den *Hemel*. O! gelukkig is dat lant,
Daer *Regt*, daer *Staet*, daer *Kerk*, op ſulke is geplant.
Dit ſtopt de *Bloet-bron* van de Twiſt, als met een ſerk.

Beſtier u gangen nu, en volgt de wijſe leſſen,
Die gy in 't *Leidſch-Atheen* ontfing, ſoo ſal de *Tijdt*,
Die 't hartſte minerael, ja keizel-ſteenen ſlijt,
Haer tanden ſtompen, en door 't knagen op u ſpillen,
En ſult ſijn afgeregt in alle Regts-geſchillen:
Een Heelder van de twiſt, van Lant, van Borger-Breſſen.

Toont ſoo een Telg te ſijn van u Roem-rugte Stam,
Soo ſal de Nijt ſchoon wreet, als *Tygers*, *Panthers*, *Leeuwen*,
U Deugt niet wiſſchen uyt, maer eeuwig als vereeuwen.
Soo wert de *Kerker* der vergetelheyt verplet,
En d'opgeſloote Deugt voor elk ten toon geſet.
Iſt ſoo, geluk die Dag dat gy te Leyden quam.

P. I.
P. & M. D.

LOF-

LOF-SANG

voor den

Kloekſinnigen en VVel-geleerden HEER

ISAACK MASSIS,

Doen hy met gemene toejuyging, naar gehouden Redenkaveling over de *Brieven van Reſpeyt*, der Beyder Regten Voorſpraak verklaart wiert in de beroemde Hoge Schole van Leyden.

Soo ooyt den Lauwer-krans gepaſt heeft op een hooft,
't Geen neerſtigheyt en tijt gevult heeft met een ooft
Van ware wetenſgap; ſoo ſalſe U puntig voegen:
U Segge ik HEER MASSIS, die na veel ſweet en ſwoegen
Soo loflijk hebt vergaart de Wijsheyt als een ſchat
Door 't ſtadig leſen van ſoo menig treflijk blad.
Kom ongelukkige, kom arme ſchuldenaren;
Hier wort u tijt vergunt om weder te bedaren.
Gy wort niet meer geboeit, geen ſlaven als voor heen,
Tot boet en kapt me u niet, noch deelt men uwe lêen.
Kom weduwe, kom wees, wil hem u ſaak betrouwen,
Door 't Recht voor Rechteren ſal hy die ſtaande houwen.
Soo wort ſijn deugt in 't end een ſteunſel van den *Staat*,
Een hulp, een heul, een trooſt, een yders toeverlaat.

T. H.

Theol. Stud.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 9